XVIII

d

TRICESIMUS NATALIS DIVI LEOPOLDI, IMP. CÆS. AUG. PII, FELICIS, INVICTI, DEVOTA PIETATE CELEBRATUS.



SACRA CÆSAREA, REGIAQUE MAJESTAS.

NAtales Imperantium celebrare ſub bonis Principibus conſuetudo, ſub malis neceſſitas fuit, ſub TE Pietas eſt, DOMINE, qui ut ſalutare & beneficum ſidus ante hos triginta annos vivere ac lucere cœ-

pisti. Aberat tunc domo AUGUSTISIMUS PARENS, & ad Comitia Ratisbonensia profectus Germaniam vel bello tueri, vel pace componere meditabatur, sepositâ interim, ac exoptatissimæ Conjugi, tantum pignus utero ferenti, delegatâ Familiæ curâ. Nec destituit hanc de Republicâ susceptam sollicitudinem cœlestis providentia, pro TE domi occupata, dum Divus Parens TUUS pro communi Patriâ foris districtus privatas caritates bono publico postponit. Quo enim tempore sanctissimum pacandæ Germaniæ opus FERDINANDUS III, nulli ante se Principum secundus, magno, sed tunc (quia nondum propitia fati hora advenerat:) irrito conatu aggressus est, non oblita pristini in Austriacum sanguinem favoris divina bonitas, conjunctissimam ejus consortem felicissimo partu levavit, ac in unius capitis ortu tot gentium saluti, tot provinciarum quieti prospexit. Et sanè optimo Principi absentia sua necessitate Reipublicæ imposita fraudi esse non debebat, ne omnium commodis intentus de propriis periclitaretur. Ita natus es, LEOPOLDE CÆSAR, in spem fiduciamque secuturæ post tot decumanos bellorum æstus, sævasque tempestates beatæ tranquillitatis,

quam

quam ob peccata humani generis diu dilatam placata Sacrificiis suspiriisque Numina serò tandem anhelantibus terris reddiderunt, ut TU eo fortunæ munere fruereris, quod à Gloriosissimo Avo magnis sudoribus multis laboribus per arma, per fœdera, frustra quæsitum, à Maximo autem Parente post exantlatas ingentes ac penè insuperabiles difficultatum molestias ultimis Imperii annis vix degustatum est. TIBI uni, AUGUSTE, hoc beneficium cœlitùs obtigit, ut inter strepentes lituos, & horrentia Martis classica editus, ipso Natali TUO Augurium Pacis inferres orbi; qui deinceps, postquam tot cladium, tot calamitatum bellantes utrinque partes puduit, dicam an pœnituit, nihil aliud quàm execrari bellum, spirare ac sperare pacem cœpit; eo paulatim successu, qui agitatam tàm diu, & propè subversam, Christianæ Reip. navim è civilium dissidiorum fluctibus, quos internis malis excitatos externa irruentium undique ventorum vis immane quantum inflaverat, in tutissimum desideratæ tranquillitatis portum subduxit. Itaque TU Aurora Pacis, TU Phosphorus non prius in lucem, quàm in spem redituri nobiscum in gratiam cœli per discussas tonantis adhuc auræ nubes, prodiisti,

 ne

ne quis dubitaret, hoc esse sacrum illud delapsumque divinitùs Ancile, quod nondum penitùs aversa fata fatiscentibus jam & deploratis ferè Germaniæ rebus desuper submitterent. Hinc prona ex eo & læta omnia, ac post Tragica vitæ TUÆ initia, domesticis etiam tùm Sanctissimæ Matris, tùm charissimorum Fratrum acerbis paulò ante, quàm nascereris, mortibus, tùm continuis ad Lipsiam, ad Janckoviam, ad Zusmerhusam cladibus, & positis ad ipsius Viennæ mœnia hostilibus castris funestata, triumphalis tandem ac gloriosus, restauratâ demum pace, exitus; jam tum TIBI nondum nato per Tuorum tumulos, per ardua & aspera ad augusta & summa viam sternentibus fatis, ac inter pueritiæ TUÆ lusus, innocentemque ignorantiam circa incrementa fortunæ TUÆ seriò sollicitis, ut Imperium, de quo Majores TUI armis certabant, quiescenti offerrent: Quanquam absit, ut TE quicquam vitii ex eâ ætate traxisse asseram, quæ, ut prima, sic plerunque & suæ, & alienæ rei incuriosa duntaxat

Gaudet equis, canibusq; & aprici gramine campi.

Vel rudibus annis vividum animum in alia detorquet,

torquet, ac cœlare, pingere, cantus, aut regimen equorum exercere, quam artes Imperio dignas, aut armorum rudimenta tractare mavult. TU, DOMINE, non priùs esse, quàm quantus olim evasurus fores, primò AUGUSTIS Parentibus, indolem in TE suam, suos mores jam à teneris unguiculis exosculantibus, dein Aulæ, sibi de tam egregio Juventutis Principe multùm gratulanti, ac toti demum Germaniæ, imò universo paulatim orbi ostendere cœpisti. Nimirum bonæ arboris statim planta cum fructu est, & Generosa in ortus semina exurgunt suos;

— Nec imbellem feroces
Progenerant AQUILÆ columbam.

Inter armorum exercitia, quæ futurum Principem semper decent, sæpè juvant & muniunt, inter meditamenta scientiarum, quibus destinata summis rebus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur, sub auspicio, & ad exemplum paternæ virtutis, in quâ ne livor quidem carpendi materiam invenit, à probatissimis moderatoribus enutritum educatumquè, quod miramur talem denique factum, qualem optavêre sui, stupuêre exteri, & prius omnium judicio meruisse Principatum,

patum, quàm obtinuisse eligentium suffragio? Quid mirum in hæc novissima, & infesta virtutibus tempora LEOPOLDUM nobis esse servatum, in quo certissimum consummatissimi, & supra omnem laudis mensuram absoluti Principis specimen observarent subditi, suspicerent hostes, intuerentur superstites, venerarentur postfuturi, quibus solis procul irâ & studio, quorum causas procul habent, sentire quæ volunt, & quæ sentiunt dicere, ac suum cuique decus rependere concessum est. Quis neget hunc superis placuisse, cujus jussu pax & bellum, terræ & maria regerentur, quemque vice suâ rebus mortalium præficerent? Nec aliunde factum, quod Adolescentia TUA tot lætis, tot tristibus temperata omen providis talium adnotatoribus ac indicium præbuit, nihil vulgare ab eo Principe expectandum, quem tot prospera, tot improspera extulissent, quique ad usum secundorum non nisi per adversa venisset. Vidisti equidem, DOMINE, invictum non animi minus, quàm armorum robore Parentem, partâ per Germaniam Pace longè feliciorem, quàm si bellum per acies confecisset, Fratrem trium diadematum honoribus præeminentem salutâsti, nullâ ei re, nisi solo nascendi ordi-

ne,

ne, cessurus: Festivos pacati orbis plausus, lætas & faustas subditarum Gentium voces Paternæ Fraternæque gloriæ unanimi ore applaudentes audiisti; Verumenimverò, quemadmodum instabiles rerum vices sunt, ita fato quoque, ut integritatem TUAM in prosperis; (quorum perpetuo fluxu egregiæ etiam mentes acrioribus secundioris fortunæ stimulis, adversùs quos minus plerunque cauta mortalitas est, exploratæ insolescunt.) sic constantiam in adversis, quæ magnos & faciunt, & probant, experiri visum est. Hinc TIBI nondum prætextato erepta novissimæ prolis puerperio pientissima Mater, & in locum ejus successura eodem paulò post lethi genere extincta mitissima, & tanto privigno dignissima noverca; Vivis exemtus Frater, & vix peractâ inaugurali pompâ, nec post eam toto mense TECUM & in suorum complexu exacto à Palatio ad capulum transire jussus, tanquam ad hoc tantùm TIBI Fratri prælatus, ut prior moreretur, & ut quamvis famâ, spe, veneratione non destinatus modò, sed jam admotus Imperio ostensum sibi non promissum solium TIBI, quem fortuna in occulto tenebat, arcanâ lege fati reservatum sci-

 ret.

ret. Excidit, quod malorum omnium complementum fuit, TIBI, nondum ſeptemdecim annos ingreſſo, ſacratiſſimus Parens, eâ ætate, quâ TIBI optanda inprimis ejus longævitas fuerat, eâ tempeſtate, quæ tanti Rectoris præſentiam, prudentiamque vel maximè requirebat. Tot ſecunda adverſis, tot improſpera proſperis permixta, quem nobis alium polliceri, quem præſtare potuerunt, quàm utriusque fortunæ ſcientiſſimum Principem, & adverſus alternantes ejus blanditias irasque non auditione duntaxat aut lectione, ſed proprio uſu, & tot inſignibus experimentis firmatum? Talem tantumque Heroem cum benigna Superûm gratia nobis tribuerit, Parentes, vel hâc ſolâ generatione beati, genuerint, tot dignis ſummo faſtigio dotibus natura ornârit, virtus excoluerit, fortuna inſtruxerit, quid habemus cœli Dominum precari, quàm ut hâc felicitate ad ultimum nobis ſpiritum frui liceat, & ut per ſingulos annos diu frequenterq; pro ſalute LEOPOLDI CÆSARIS vota nuncupemus, neque unquam aliud Imperantis nomen Germaniæ innoteſcat. Triceſimus hic natalis TUUS eſt,

DO-

DOMINE, faxit æternitatis ille Pater, ut seculares TIBI ludos, (si per ætatis humanæ angustias eò aspirare fas est,) aliquando posteri faciant, vel saltem ut RUDOLPHI I. ac FRIDERICI IV. è gente TUA Cæsarum, vitæ ac potentiæ annos, utroque clarior & felicior superes, ac ut

Iliacos æquare senes aut vincere possis.

Hoc quotidianum obstrictæ TIBI publicæ privatæque pietatis votum, hoc TUORUM omnium desiderium esse, satis testatæ sunt effusæ in nupero, unde vix recreatus es, morbo, universorum TIBI fidelium lacrymæ; hoc locuta est orta è recuperata cœlesti ope valetudine TUA, perque totam Germaniam, Italiam, Hispaniam, Sarmatiamque diffusa lætitia; neque tantam adversus nos, quamvis ultima exempla meritos, inclementiam fati fore credimus, ut uno ferali ictu, (quem Superi avertant!) subtrahat nobis unicum illud fulcrum, cui propagatio fundatæ longo Imperio Domus Augustæ, cui custodia Pacis, gloria belli, tutela Germaniæ, tranquillitas Europæ, totius

denique orbis ſecuritas innititur. TU modò, DOMINE,

— — *Fatis accede Deisque*,

Et ut ſalvi per TE ſimus, ſaluti TUÆ proſpice; Quod ſi, ut cœpiſti, feceris, ſi vitæ TUÆ, ſi dignitati conſuleris, nullum Numen aberit. Non deſerent TE cœleſtes excubiæ, niſi TIBI defueris, niſi præſidia, quæ præ manibus habes, dimiſeris, niſi noxia Imperio TUO, pacique noſtræ, & TUORUM fidei animalia è medio tollere, & peſtiferas herbas, atramque loliginem ſtirpitùs evellere, pravosque ac vitioſos humores hàc illàc in vaſto provinciarum TUARUM corpore, intimisque ejus viſceribus hærentes fortioribus remediis expellere, ac foràs ejicere diſtuleris. Vide, ne feceris, DOMINE, neve vitam eorum, qui propriam, dummodò TIBI officiant, contemnunt, TUA potiorem habeas; Quod præpoſteræ miſericordiæ genus vim crudelitatis induit, quæ dum paucis ſceleratis parcit, bonos omnes in exilium agit. Fruſtra eſt, qui efferatas ſemel beſtias (in quarum hodiè homines ingenia tranſeunt,) beneficiis cicurari, manſuetudine placari, leni-

mentis

mentis & mollibus conſultis ſanari poſſe credit. Semel quidem illis ignoſci culpa, remitti pœna poteſt, at illi ſemper meminiſſe offenſæ, eò acrioris, quia iniquæ, uti proprium eſt humani ingenii odiſſe, quem læſeris. Minoribus delictis venia gratiam, magnis odium, & patrandi potiùs quàm tentandi animum conciliat, cùm multi haud ignari in talibus periculoſiùs eſſe deprehendi, quàm audere, ſævitiam in atrocibus ejusmodi facinoribus, quàm pœnitentiam malint. Inſontibus inſontia conſilia, flagitiis manifeſtis ſubſidium ab audacia petitur, cui, quando ultima timentur, ſpretâ præſentium invidiâ, nihil medium inter ſumma & præcipitia, inter cædem & necem, inter ſicam & ſecurim eſt, præcipuè evulgato ſemel extremæ improbitatis arcano, regicidia incipi cum periculo, peragi cum prœmio. Cave, CÆSAR, & his monſtris ac novercantis ævi portentis Palatium, Curiam, Provincias, Caſtra libera. Ita vitam TUAM augebis, ita Famam, ut nec inimici quidem TUI in necem hactenus TUAM, noſtramque perniciem intenti queri quicquam impoſterum audeant, niſi de magnitudine TUA, cui nemo invi-

det,

det, nisi qui eâ se minorem clam dolet, palàm fatetur. Eam TECUM, TE in ea servet, proteget, tueatur Ille, per quem Reges regnant, ac

De nostris, LEOPOLDE, TUOS DEUS augeat annos,

In quo salutis humanæ augurio desinit, & ad Augusti solii TUI gradus humillimè se prosternit

NUMINIS MAJESTATISQUE T.

Devotissimus & subjectissimus servus ac subditus

N. N.